DEO OPTIMO MAX.
UNI ET TRINO,
VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA*,
CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS; manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis vigesimâ-septimâ mensis Februarii, anno Domini M. DCC. LXXVII.

M. MAXIMILIANO-JOSEPHO LEYS;
M. COCHON DUPUY, Regii ordinis Equitis, Regii Consiliarii & in Arce maritimâ Rupifortensi Anatomes & Chirurgiæ Professoris Regii, vices gerente, Doctore Medico, Præside.

An ad sanitatem ut corporis, sic & mentis exercitatio?

I.

UT suæ felicitatis, ità & suarum miseriarum artifex homo, Naturæ vertit in crimen quod sit incerta fallaxque valetudo, vita fluxilis, promptior lethi necessitas. Quin potiùs accusemus ingluviem, intemperantiam, effræna animi pathemata, venerem indomitam, torporemque illum quem sub otii nomine summum sibi bonum animis fingunt plurimi. Ità homini bene consuluit natura, ut illa voluerit cætera animalia ab homine non

* Autore Magistro *Mauduyt de la Varenne*. Anno 1759.

(a) Vid. Thes. an omniam animalium homo robustissimus, ann. 1710. M. de la Hire.

solâ rationis præstantiâ, sed etiam corporum robore superari (a) Homo namque inter animalia solus qui quadraginta per annos non cesset à laboribus variis, continuis, multiplicibus. Tanta insita est corpori ejus vis vitæ, ut nullius alius animalis tantum sit robur, quod æquè superare possit incommoda, quæ perpetuò viventibus procreant inevitabilis aëris necessitas, tempestatum vicissitudines, caloris & frigoris vices, regionum aspectus varii, varietasque alimentorum. Quacumque enim patet terra, reperiuntur homines, solaque species hominum habitat ubique. Cessemus igitur ab injustis quæstibus, ultròque cum Quintiliano profiteamur: *frustrà mala omnia ad crimen naturæ relegamus, nemo nisi suâ culpâ diù dolet.* Verùm & se ipso & iis quæ ipsum circummambiunt homo nescit uti. Intemperans est, gulæ deditus; noctis dieique vices mutat; ità ordinem naturæ subvertit, ut æstate glaciem amet, hyeme frigus cautiùs vitet. At inter rerum non naturalium crebros abusus, undè infirma hominum valetudo degenerisque humanæ speciei ruina, non ultimus numerandus, torpor sive corporis, sive animi.

I I.

(a) Lib. 1. cap. 1. p. 20.
(b) Cap. 4. §. 1.
(c) N. 1044.

QUANTUM ad robur & sanitatem conferat corporis exercitatio, ut innumera probant rerum experimenta, sic uno ore omnes conclamant (a). *Iguavia*, ait Celsus, *corpus habetat, labor firmat, illa matur. m senectutem, hic longam reddit adolescentiam.* (b) *Chæneus* verò motûs & quietis commodam institutionem non minoris ferè ad vitam sanam momenti esse, quàm ad ipsam vitam nutrimentum, affirmat. (c) Boerrhaavius ipse noster motum corporis ad primum usque exortum lenissimi sudoris, vel usque ad sensum incipientis lassitudinis commendat. Exindè fortasse fertur quod ipse solitum habuerit unâ quâque die equum conscendere, atque duarum circiter horarum spatio, indulgere exercitio: scilicet ut experiretur quid in robusto corpore mens sana possit exequi. Etenim illæ gentes cæteris populis & animorum & corporum viribus præstitêre semper, quas labor magis impiger induraverat. Quàm ingens, *referente Tacito*, Germani olim corporum robur, quàm firma illis animorum constantia, cùm libertatis amor Romanæque servitutis odium ipsos exerceret. Gentium Regina succubuit victrix Roma, postquam cives ejus otio diffluxerunt. Ipsam subvertit dura gens quam aluerat septentrio: adeò nihil non superat labor improbus. Et verò mollis est Asiaticus non solummodo quod ejus membra calor resolvat, sed insuper quod facilis pateat undiquè campus rerum omnium quæ sunt ad vitam necessariæ ex se, proprio telluris munere, absque hominum labore ferax; dum contrariâ ex parte durus septentrionis incola non nisi defatigatus altos montes superat, densa penetrat nemora, gelu constrictam aratro scindit tellurem, nec nisi multo labore vitæ sustentamina sibi congerit. Sed quid opus externis? Ruricola quàm robusto corpore, quàm firmâ gaudet valetudine! Magnatibus verò quàm delicatula corporum compages, quàm obnoxia millenis morbis rustico incognitis. Melius antiqui quàm nos. Jure enim suo Athenensium, Lacedemoniorumque Legislatores Gymnasticam artem tantoperè commendabant; quin eam ipse Lycurgus sacrâ religionis autoritate confirmatam voluerat. Sed quid molior multa? Natura pueros quos amat adhuc, gremioque fovet, ut pote puros innocuosque à contagio vitæ, perpetuò invitat ad cursus, subsultus, generis omnis motus. Ipsa inter eos choræas agitat manuque sublevat. Miserrimum nobis quòd deinceps longiùs à naturâ recedamus.

III.

QUAMVIS quænam vincula corpus & animum conjungant inter se, ex quo extitêre Philosophi, disputatum fuerit, nec dum inventum sit ac demonstratum; nihilominùs manet inconcussum, in homine præter corpus dari substantiam distinctam & diversam à corpore, inextensam, cogitantem, animi nomine insignitam. Utriusque illius substantiæ divinitùs unitæ, tale existit commercium, ut utraque agat in se reciprocè. Namque non solummodò morborum pestes mentem perturbant, sed & variæ animi affectiones varia producunt in corpore symptomata. Unde ad sanitatem corporis multi refert qualem servaveris animæ statum. Nam non cogitandum aut fingendum cum quibusdam omnem animi affectionem omninò pendere à corpore; omniumque pathematum corporeas existere causas. Nihil potest assignari in corpore amori aut odio simile. Illa non in organis, sed sunt in animâ. Et quemadmodum Logici docent calorem non inesse in igne, sed intrà animam, sic amor aut odium insunt non in nervis variè motis, sed in mente (*a*). Atque *ita tamen sumus instructi*, ipse ait Boerhaavius, *ut hæc conditio mentis, amoris aut odii excitet in corpore motus*. Undè mentem in corpus agere probatur abundè, cum in corpore motus mens excitet. Sed si sit mens agens in corpus, refert quales, quantos, quàm placidos aut inordinatos in ipso motus suscitet. Nunc verò demonstrandum incumbit quòd, mens si diutius torpescerit nec longo didicerit usu suos motus moderari, impossibile sit, ut multis in casibus, ea quæ sunt utilia, de corporis motibus statuere possit.

(*a*) N°. 573.

IV.

QUEMADMODUM exercitio corpus induratur, sic labore mens firmatur, aptiorque evadit rerum naturas callere earumque pretium justi æstimare. Exindè molestiæ quæ nos quotidiè quamdiù vivimus lacessunt, hujusque humanæ nostræ conditionis indivulsæ sunt comites, cum miserias & cruciatus procreent iis hominibus quorum mens est levior, omni proindeque muliercularum genti, sapientem feriunt impavidum. Animum verò regere quanti ad sanitatem corporis intersit, quis non videt? Verum quis modus animum servare tranquillum adversùs seipsum, civium injurias, bellatorum furores, suorum funera, nisi adversùs tanta hæc mala in scriptis Philosophorum præsidia sumendo? Quantas in corpore tragœdias excitet immoderatus animi impetus, sola satis demonstrat ira, dum torvo lumine vultum, modò pallore, modò intenso rubore suffundens, dentibus infrendit, atque omnis generis vasorum canale coarctato angustato que spiritum pluribus intercludit (*a*). Suo jure Parisiensis Scholæ Magister thesim scripsit quâ demonstrat *omnes animi passiones, exceptâ moderatâ lætitiâ, sanitati nocere*. Namque vel fibras laxant, harumque tonum omninò subvertunt, vel eas tendunt nimis, mortemque cum rigiditate citiùs inferunt omnia animi pathemata. Dicat Sanctorius ut insensibilem transpirationem turbare, mutare, sistere, valeant animi affectus. Dicant Practici quanti in morbis momenti sit placido esse animo; quot morti tradat vesanus mortis timor; quoties præjudicata opinio insanabilia reddiderit ea, quæ periculi nihil habebant (*b*). Digna quæ notetur historia virginis cujusdam Massiliensis, quæ, tempore quo pestis Massiliam depopulabatur, peste cum ipsa tentaretur, ad hunc pervenit morbi gradum, ex quo vitæ reddebatur nullus, unaque pluria inter millia convaluit, ex eo scilicet, quòd quo instante decubuit, ipsi cùm fucum facerent Medici, salubri errore delusa, alio quàm peste morbo se laborare,

(*a*) Anno 1731. Præside. M. Preaux.

(*b*) Traité de la Peste, page 276.

quamdiù duravit ipsius morbus, existimaverit. Ipsi verò Medici undè nosocomia, pestiferorum domos, mortis atria ingrediuntur illæsi, nisi quia mens ipsis cùm sit exercitata magis, sapientior quoque & firmior est, nec ea quæ turbetur iis quæ cæteris hominibus vix sunt tolerabilia. At verò gens melancholicorum, ad quos maximè pertinet nostra propositio, unde tot miseriis cruciatur, vexaturque? Non tam in ventriculo lenta morbi tabes, non tàm in obstructis visceribus, aut denso nec circulante purpureo latice recondita latet, quàm in eorum vivendi genere. Maximum illis malum est otium, maxima pestis vitæ pondus & horarum. Hinc ipsis vel levissimus in vitâ eventus instar supplicii est, ægraque mens trahit insons corpus in partem magnam miseriarum. Vis citò convalescant? Aliquod negotium iis suscita, facque ita ut ex otio disturbentur.

V.

NEC objiciat aliquis magnam hominum partem, agricolas nempè, omnis que generis artifices, integerrimâ gaudere sanitate absque ullâ mentis exercitatione. Ii namque homines, operibus suis dum sunt intenti, minimè sunt otiosi. Quemadmodum enim litteratis hominibus deambulare exercitium; sic rustico, vel levis animi attentio, labor est. Diversa namque sunt, ut corporum, sic ingeniorum, pro diversis tum ætatibus, tum conditionibus instituenda exercitii genera. Præclarè igitur Galenus, (a) *fieri, potest ut idem motus alteri sit exercitatio, alteri non sit.* Non igitur matribus nostris, magnatibusque viris, autor fuerim ut mollia frangant duris membra laboribus; ipsos sed ad jucundiora, nec minùs utilia, invitaverim. Quod sibi scientiarum aut artium genus placeat magis, quisque videat & quò trahit sua voluptas, sequatur. Dulce sequi quidquid placet: & tot habet rerum natura quæ placere possint. Si te juvarint cantus, cantare bonum, mollesque agitare choreas. Multa potens agere in corpus nostrum musica, quæ trahit in consensum volentes nolentesque; (b) cui orbis imperium, à Romanis occupatum, referre non dubitavit magnus inter multos Gallorum duces, *comes Saxonius.* Enim vero dùm nervus auditorius, tam crebras multiplicesque ac miras in corpore jungit connexiones, quos ab aëre tremores accepit, in toto corpore diffundit, totaque intùs moles agitatur. Dulce quoque est errare silentibus in sylvis ubi teneros amores avium populus suspirat; aut viridem peragrare pratum, florumque carpere odores. Nec omiserim, blandam voluptatem, historiæ naturalis studium. Illo namque studii genere mens eruditur, corpusque exercetur. Utile quidquid corpus aut mentem exercet, utilius & mentem & corpus simul exercere. Cuicumque igitur sanitas curæ est, ille & animi & corporis, angue pejus, otium vitet.

(a) De San. tuend. lib. 2.

(b) Reveries. art. de la tac.

Ergò ad sanitatem, ut corporis, sic & mentis exercitatio.

Proponebat Parisiis CHRISTOPHORUS-NICOLAUS DE JUSSIEU, Lugdunæus, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, A. R. S. H. 1777.

A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1777.